



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **QUO PLENIUS*** IN REPUBLICA GEORGIANA NUNTIATURA
APOSTOLICA CONDITUR. Ad perpetuam rei memoriam. — Quo plenius confirmentur publicae necessitudinis rationes
inter hanc Apostolicam Sedem et Rempublicam Georgianam hoc ipso die feliciter initae, simulque aptius provideatur
spirituali bono catholicorum fidelium illic commorantium, Nobis per opportunum videtur in memorata Natione Apostolicam
Nuntiaturam condere. De communi igitur utriusque partis voto, audita Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, summa
Nostra potestate harumque Litterarum virtute in Republica Georgiana Nuntiaturam Apostolicam constituimus, factis
omnibus iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis et indultis, quae huiusmodi Legationum propria sunt, mandantes ut
eius sedes in urbe « Tbilisi » ponatur. Has denique Litteras, in forma Brevis maioris expeditas, nunc et in posterum ratas
esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris,*
die XXIV mensis Maii, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri decimo quarto. De mandato Summi Pontificis
ANGELUS card.

SODANO

*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 4, pp. 310-311 © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana